



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Exercitium ad Cor Mariæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

assequi posse sine ingenti auxilio, quod tu solum præstare potes. Perfice igitur in me, O Cor sanctissimum, quicquid tibi acceptum est tuæque voluntati conforme. Sentio equidem repugnare me ac resistere; sed nollem certe, nisi me fallit animus: tuum est præstare omnia, atque perficere: tibi uni sanctitatis meæ (si adipisci tandem contingat) gloria debebitur: neque ego alio fine ad sanctitatem aspirare deinceps volo, nisi ut tu demum lauderis, ac glorificeris. Amen.

*Exercitium ad Cor MARIÆ.*

O Maria, Mater Dei augustissima, hanc veniam servulo tuo clemens indulge, ut mihi liceat selectis illis famulis tuis conjungi, qui peculiari cultu & studio Cor tuum immaculatum prosequuntur: ut ipse quoque gratiarum, huic pietatis officio tibi ac Filio tuo gratissimo, affixarum, particeps effici merear.

O Cor Mariæ, omnipotentissimæ Dei manus opus perfectissimum. Cor sanctitate, puritate, nobilitate, sublimitate, Dei Matre dignum: simulque Redemptoris Matre, misericordia, humilitate, charitate, mansuetudine, dignissimum. Tu, fons inexhaustus bonitatis, dulcedinis, beneficentiæ, commiserationis. Tu, virtutum omnium perfectissimarum ac purissimarum exemplar. Tu, Cordis Jesu imago quam simillima. Tu, flammis amoris divini super omnia Seraphim indefinenter & ineffabiliter ardes. Tu, gloriæ Dei plus servis affectionibus tuis vel levissimis, quam alii Sancti

con-



conferre possint cunctis operibus suis maxime arduis & heroicis. Tu, sedes pacis. In te, justitia & misericordia primum osculatæ sunt. In te, concordia inter cœlum & terram tractari, fœdusque inter Deum & hominem iniri cœpit. Tu, homines omnes incenso ac tenerissimo amore complecteris. Tu, illorum miseriis materno semper affectu tangeris. Tu, semper felicitatis nostræ desideriis exarsisti. Tu, dolores immensos pro salute nostra pertulisti. Ergo, O Cor dulcissimum, amantissimum, sanctissimum, tot capitibus veneratione mea, amore, ac fiducia dignissimum, obsequia, quæ amore tui incensus tibi supplex defero, solita clementia admitte. Te, summa qua possum summissime revereor. Maximas tibi gratias ago, quod miseriis meis, pietate plusquam materna commotum, pios in me tam sæpe misericordiæ tuæ effectus effuderis; tamque multis beneficiis ex illo bonitatis thesauro depromtis, affeceris. Ego me hodie devotis tuis, qui in laudibus tuis, cultu & amore delectantur, cupidissime adjungo. Scilicet a divino quo reguntur spiritu edocti didicerunt, te certam esse viam, qua tuto ac recta ad Jesum pervenitur: tuaque potissimum opera nos uti debere, ut officia quæcumque Jesu debita, per te solvamus & impleamus. Per te Jesus adorandus est: per te amandus: per te laudandus, ac benedicendus: per te rogandus: per te placandus: per te omnia nostra ei offerenda, dicanda, consecranda: ut ea demum ratione in omnibus, per te ipsum, imbecillitati nostræ subveniamus, atque egestati nostræ divitiis tuis



provideamus, ac suppleamus. Esto igitur, O Cor virgineum, augustissimum, amabilissimum, esto ex hora hac, ad ultimum usque vitæ spiritum, venerationis meæ & amoris mei objectum quotidianum, ac perpetuum. Tu via eris, qua & ego ad Jesum accedam, & ipsius misericordia ad me veniet. Tu, refugium meum in necessitatibus, & consolatio in tribulationibus. Tu, speculum quod assidue contemplantur. Tu, schola sacra in qua Jesu magistri mei lectiones audiam. Te docente, divina illius effata, consilia, virtutes ediscam. Tu veram ac perfectam exercendarum virtutum rationem monstrabis. Te duce, te fua-dente, te excitante studebo sectari puritatem, humilitatem, mansuetudinem, charitatem, patientiam, mundi rerumque creaturarum contemptum, sed maxime amorem Jesu Dei ac Redemptoris mei Filii tui. Has ego virtutes per te fidenter petam & impetrabo. O verus misericordiæ thronus! cor meum peccatis inquinatum, inordinatisque cupiditatibus agitatum, tibi præsentare audeo, tuo conspectu licet indignum, oro, ne contemnas; sed tibi oblatum ac dicatum purifica, sanctifica, a rebus terrestribus avoca, acerrimo peccatorum suorum dolore transverbera, tuo demum, ac Filii tui unigeniti Jesu Christi amore inflamma: denique tibi simillimum redde, ut tibi in Paradiso conjunctum, tecum amare Deum, Deoque frui, æternum possit. Amen.